PATRI OPTIMO,


AMICO FIDELISSIMO,

PRÆCEPTORI STUDIOSISSIMO,

BARTHOL.-TUSSANO LECLERC,

DOCTORI MEDICO PARISIENSI;

CONSILIARIO MEDICO REGIS ORDINARIO IN EJUS CASTELLETO;



Reverentiæ, pietatis, grati in æternum animi, caducum & brevis ævi monumentum,

DICAT, VOVET ET CONSECRAT,

Obsequentissimus & addictissimus filius,
CLAUDIUS BARTHOLOMÆUS-JOANNES
LECLERC, Bacc. Med. Paris.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO PHYSIOLOGICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis tertiâ menſis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXV.

M. JOANNE-JACOBO-HYERONIMO DUCOS, Doctore Medico, Præſide.

An corpus humanum vivens, organum, *non* machina? (*a*)

I.

EA eſt hominis ſuperbia, ſimul & ſtoliditas, ut, dùm majora geſtit affectare, conditionem deprimat humanam; innumera mundi phœnomena ſpectanti, quidquid mirum videtur, id illicò ſibimet arrogat: nihil in orbis univerſi

(*a*) « Les vrais reſſorts de notre organiſation, ne ſont pas ces muſcles, ces arteres, ces veines,

facie ſtupendum, quod (ſi fides ipſi tribuatur) non & offerat ipſe. Quòd ſi littori inſidentis oculos portentoſum percellat maris ſpectaculum, ſtupet clàm, at nèc minùs in ſeipſo miranda, voce ſuperbâ, prodigia proponit: humorum confeſtim Oceanum, purpureum magnificè vocitat intrà vaſa latitantem rivulum, qui, ſi ſuperveniente febriculâ, pauliſper à conſueto deflectat rithmo, jam (audias) furit tempeſtas, mugiunt fluctus, æſtuant procellæ. Ineffabili cœlorum ſplendore ſi perculſus, ad ſupremi Numinis ſydeream ſedem attollat oculos, ſeipſum interrogat, quærit anxius, àn in ſe quid habeat, cùm tantis in comparationem adducendum miraculis, donèc, rationi ſuæ, cui divinitatem tribuit impius, in proprio capite templum ſtruat, nè dicam Olympum, eam minutiſſimam cui caput innititur particulam terream, oſſiculum nempè, giganteo Atlantis nomine, ſalutando.

Nèc ſatis quod audeat cœleſtia ſibi vindicare prodigia; ſi quædam intrà telluris viſcera clàm patrentur, eò devenit inſolentiæ mens humana, ut quasì naturæ ſimia, ea ſtatim velit æmulari: vi quâdam ineluctabili, quædam ad invicem alliciuntur metalla, en invidus confeſtim homo, venditatum fraudulentèr magnetiſmum, eſſe quoque ſuum, ſibimet mentitur; *& iniquitas eorum mentita eſt ſibi.* Uno verbo, cùm nihil, niſi mirandum, occurrat in ordine mundi, ſe, microcoſmum jactitat ambitioſè, quaſi ſuorum omnium natura φαινομενων, proprio plaudens operi, minutam amaviſſet imaginem in ipſo compendioſè delineare. (*b*) O quàm celſa, ô propè divina, humana conditio, ſi ſuam dignitatem nôrint homines! At, eheu! propriæ inſcii magnitudinis, precarium decus aucupantur, prò genuinâ gloriâ, vanam hiantes gloriæcaptant umbram, & dùm, quas ipſorum gratiâ condidit natura leges, conantur eludere, communi jugo, ſervile dare collum non dubitant. Undè Vates:

Optat Ephippia bos piger, optat arare caballus.

Haud ſecùs & homo, cui peculiarem ſcripſit natura codicem, quæ fuit inerti cuilibet impoſita corpori, normæ geſtit obtemperare. *Mechanices* ideò, cùm ſequi videantur, quæ ſunt infimioris ordinis opera naturæ, vult & iiſdem homo regi, qui ſuâ turpiter deluſus ſuperbiâ, dûm humanam ſuprà nititur aſcendere conditionem, ad eam inertis *machinæ*, inconſultè deſcendit ignobilem.

I I.

QUAM meritò, quàm appoſitè, fabrica mundi *machina* fuerit appellata; ſed quàm falsò, quàm ineptè, *machina* quoque dicta fuerit corporis humani viventis compages, nullus non intelliget, qui altè cogitandi, &, ut dixit Sthalius, ſubſumendi fuerit compos. Quod ut in apricum prodeat, ſatis erit expoſuiſſe quid ſit vivere; nec ſanè ad materialiſmum conclament, (ad Medicum attinent tantummodo Phyſica) erit de corporis humani, non de hominis, vitâ. Quo facto, quæ ſint *mechanices* corpora legibus adſtricta, quæ verò iiſdem exiſtant ſoluta, concludere pronum dabitur. Corpus vivens, cûm Sthalio concipimus illud, cui motus ità ineſt, ut à priori ineſſe dici poſſit, nèc, eo motu ſufflaminato, vivens queat concipi. Quolibet inſigniatur nomine cauſa φαινομενων quæ in humano corpore vivo concurrunt, dubium certè moveri nequit, de principii cujuſdam activi exiſtentiâ, cui debeantur quæcumque corporales fiunt functiones,

» que l'on décrit avec tant d'exactitude; il réſide dans nos corps organiſés des forces intérieures, qui » ne ſuivent point du tout les loix de la Mécanique groſſiere que nous avons imaginée, & à laquelle » nous voudrions tout réduire ». *Comte de Buffon, tom. 4, p. 199.* Paris, 1769.

(*b*) « Animalia ſunt naturæ ſpecula, à ſapientibus nuncupata ». *Cælius Aurelianus, lib. 4, c. 8.*

Quidquid hâc de re luxurians cùm veterum, tùm neotericorum fomniaverit authorum imaginatio, referre longius foret, & prorsùs inutile. Satis erit præmittere, eos, qui à Philofophiæ incunabulis infurrexere nafcentis, cùm nulla fibi fingerent incorporea, cenfuiffe, principium vitæ quid effe aëreum, morte fufflaminandum; animam ideò Latini dixerunt fpiritum, πνευμα Græci, *Ruach* Hebræi, verbis idem fonantibus, omnes ferè gentes. Aft ubi præeunte rationis face, ad entium incorporalium cognitionem acceffit Philofophia, jàm inter Philofophos quidam cenfuerunt vitam ab unione corporis & animæ, non effe diftinguendam; in duas ifti fcinduntur partes; hìnc eorum, quos inter princeps (*c*) Sthalius, qui Carthefium fecuti, quofcumque corporis, five vitales, five naturales motus, animam penès effe; indè verò, illorum qui duce Boërrhavio, corporales quaflibet functiones, per fucceffivos motus à vitæ primordiis, *mechanicè* fieri, autumant. Sthalianam hypothefim victoriosè refellet quicumque attendet, juxtà ipfam, (quod certè repugnat) ab ipfius voluntatis arbitrio pendere functionum læfiones, & morbos, vel animâ jubente, vel faltèm errante, graffari. An valeat oppofita, Boërrhavii fcilicèt, in decurfu videbitur. Fuerunt, & qui (*d*) principio cuidam à corpore fimul & animâ pariter diftincto, deberi vitam, arbitrarentur. Undè ea quam admifit Pythagoras, anima mortalis & partibus conftans, undè, quas infignes fecêre Baylii fcripta, Naturæ Plafticæ; undè Helmontii Archæus; undè principium Friderici Hoffmanni, corpus inter & animam medium. Sic defipientes tot tantos viros cùm audiam, non poffum quìn humani ingenii imbecillitatem, omnibus lugendam lacrymis proponam. Quid enìm non delirabit hominum vulgus, fi Philofophos fugiat ipfos, ità fibi repugnare materiam & fpiritum, ut nihil utriufque naturæ particeps poffit intelligi?

III.

DUPLICI corporum generi, inerti fcilicèt & viventi, fuas utrique peculiares pofuit natura leges; quæ fuerunt inertibus ineluctabiles impofitæ, in codicem collectæ, *mechanifmum* conftituunt. Id igitur *machina* meritò audierit, quidquid de fe, ad motum vel quietem indifferens, valet à pofteriori varios in motus cieri, prò variis, figurâ, mole, fitu, prò variâ etiam motûs actualis *quantitate*, five corpore percutente fupponatur impreffus, fivè generalibus attractionis, gravitationis, elafticitatis, affinitatis jubeatur legibus. Sic Aftrono-

(*c*) Stahlio *Scaliger* affentitur his verbis: « Qui animam fecit, eam præceptis adornavit, quæ pertinent ad unionem fuam cùm corpore confervandam: ejus itaque ftudiofa, movet cor, » coquit in ventriculo, recoquit in jecore, perficit in venis, digerit in membra, mutat in corpus. »

(*d*) Beatus Paulus, *Epift. ad Rom. cap. 7.* « Video aliam legem in membris meis repugnantem » legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eft in membris meis »

Idem, *Epift. 1. ad Theffalonic. cap. 5, v. 23.* « Ipfe autem Deus pacis fanctificet vos per omnia; » ut integer *fpiritus* vefter, & *anima*, & *corpus* fine querelâ in adventu Domini noftri Jefu-Chrifti » fervetur ».

Baco, *de augment. Scientiarum, lib. 4, cap. 3. Lond. 1714.* « Anima fi quidem fenfibilis, five » brutorum, fubftantia corporea cenfenda eft, à calore attenuata, & facta invifibilis, aura, inquam, » ex naturâ flammeâ, & aëreâ conflata, aëris mollitie ad impreffionem accipiendam, ignis vigore ad » actionem vibrandam dotata; partim ex oleofis, partim ex aqueis nutrita, corpore obducta, atque » in animantibus perfectis in capite præcipuè locata, in nervis percurrens, & fanguine arteriarum » refecta & reparata ».

Plato, *in Timæo.* « . . . . λεγομὲν γὰρ δὴ, πνεῦμα μὲν ἐν ψυχῇ, ψυχὴν δὲ ἐν σώματι συνιστάς.

Lib. Job: « Abfolvifti animam meam à *fpiritu meo* ».

S. Auguftinus, *de Animâ, lib. 4:* « *Spiritus* hominis eft rationale noftrum quo fentit atque intel- » ligit anima; non habent itaque *fpiritum* pecora, id eft intellectum, & rationis & fapientiæ fenfum » fed animam tantùm ».

Genef. 7, 21. « Et mortua omnis caro, & omnis homo, & omnia quæcumque habent *fpiritum* » vitæ ».

mia *mechanicè* sese attrahentes ad invicem siderum orbes, sic & Lunam mari *mechanicè* gravitantem; sic Physica corpus elasticum plano elastico impactum, *mechanicè* resiliens; sic Chemia demùm tùm acidas, tùm alkalinas, sibi invicem *mechanicè* nubentes particulas, nobis observanda proponunt. Non mirum igitur, si semèl immutabilibus positis legibus, iisque notis ad unguem, Planeta post plurima secula die dicto rediturus, Luna dicto pariter die, dictâ & horâ, precarium orbi famulatura lumen, ad hanc vel illam altitudinem elasticum corpus post casum ascensurum, quænam ex horum & illorum connubio principiorum, fit enatura chemica mixtio, absque erroris ullo metu, prædicere valeamus.

I V.

CUM jàm leges indigitaverimus *mechanicas*, quibus inertia reguntur corpora, id nùnc operæ pretium sit, ut, *organicas* quibus obtemperant viventia, perpendamus. Verùm enim verò ex ipsâmet hujusce vocis, *organi*, à verbo græco ὀργη, (ira, voluntas etiam apud Thucididem) deducendâ origine, cuilibet utpotè rerum physicarum non omninò rudi, facillimè innotescet, id tantùm posse dici *organum*, cujus actus, legum naturæ generalium necessitudine, absolutè non diriguntur, sed innata sibi αυτοκρατία, nèc absque quâdam ipsius-met corporis, si fas sit ità loqui, conscientiâ, producuntur. Id enim statuisse videtur natura, ut quò propiùs ad *perfectibilitatem* accederent entia, eò liberiora, eò legibus generalibus laxiùs versarentur adstricta. Etenim Philosopho universam entium naturalium collectionem uno intuitu complectenti, ab informi prorsùs fossili, ad hominem usque, numeris suis absolutum animal, totus erit orbis series individuorum, quæ pro suo *perfectibilitatis* gradu, angustioribus vel remotioribus circumscribuntur limitibus. Ideò forsàn fossilia *mechanicis* voluerunt hactenùs Physici regi legibus, quòd ità obscura sit in eis *organica* dispositio, ut imbecillis nostræ mentis irritos conatus, vanas effugiat indagationes; ast ubi generalis entium corporeorum, ut ità dicam, catenæ eum attingimus annulum, quo mineralia vegetalibus revinciuntur, dubium jàm in Lythophytis dilucescere crepusculum *organisationis* incipit, ejusdem in sensitivis affulget aurora, donèc in Zoophytis jàm sole meridiano clarior & vividior offendat oculos. Quis enim inficias ibit suæ agendi rationis conscios & compotes esse polypos, (*c*) qui fame urgente, polypis suî similibus simul & proprio brachio, cùm aliis alimentis, promiscuè voratis, cùm quæ sibi proficua, quæ verò sibi nociva perfectè dignoscant, rejectis incolumibus polypis, rejecto & integro brachio, retentis verò congruis alimentis, inconsultum emendant errorem. Haud igitur immeritò si tribuatur *organisatio* polypis, omnia inter animalia à *perfectibilitate* remotissimis, eamdem & à fortiori non injuriâ sibi vindicabit homo, omnia inter animalia *perfectissimum*.* Ibi enim collimant quæcumque sunt corporis humani partes, ut *organisationem* innatam sibi commonstrent, arguant, testentur; ità ut etiàm à se invicèm disjunctæ, separatæ, distractæ, *organisationis* hujusce superstites aliquandiù retineant reliquias, & ejus haud dubia exhibeant specimina. Sint exemplo viscera, secretionum & excretio-

(*c*) Videas *Trembley*, de Polypis.

* Ex dictis ne arbitrentur, nos, antecellere brutis hominem, censere, habitâ tantùm ratione majoris ejus in ordine physico *perfectibilitatis*. Procul à nobis ejusmodi sententia, quæ dignitatem hominis, ex animâ scilicèt immateriali, oriundam penitùs everteret. Etenim homini, licèt cœteris animantibus physicâ dispositione præcellenti, præcipuum ex eâ præstantiâ non accedit decus, at certè ex eâ cœlesti particulâ quam ad tempus corpori perituro Deus alligavit immortalem, cui soli competunt, boni & mali moralis notitia, alterutrius eligendi libertas, Dei omnipotentis cognitio, vitæ spes æternæ; quidquid, uno verbo, denegatum brutis, homini verò concessum, eum naturæ quasi regem constituit.

tum officinæ, quarumquidem jamdudùm obſolèvit ridicula propè explicatio ſimpliciter *mechanica*, quas verò, excretiones præſertim, *autocratico* partium appetitu parari, perfici commonſtrant, & opimi cujuſdam eſculenti ſollicitatum, elicitum odore, vel etiam ideâ, ſalivæ profluvium, & excretio bilis, ſimul & ſucci pancreatici ſpontanea, quandò, ad blandum chymi attritum reſerato pyloro, cibariam à ventriculo mandatam ſibi duodenum tenet pultem. Quo pacto *organiſmum* ſi reſpuant, explicent varia ſecretionum genera, cùm ubique eadem ferè *mechanica* diſpoſitio? Quemadmodùm enim ad cerebrum, ità pariter àd renes, fluidum ejuſdem naturæ, per ejuſdem naturæ vaſa appellit. Nèc variâ donatos formâ opponant vaſorum poros, cùm nullo conſtet experimento, determinatâ gaudere figurâ hujus vel illius humoris moleculas, & aliundè eâ admiſſâ hypotheſi, unico tranſcolationi favente molecularum ſitu, adverſentur mille; undè ſecretionum, proindèque excretionum innumeræ ſequerentur perturbationes. Quomodò & explicent *mechanicè*, rubore pudibundo genas puellæ ſuffundi, ſollicitantibus infantuli labellis almam erigi nutricis papillam, jugulum, apud accenſos irâ, quasi plenum turgeſcere, muſculum denique contractum immenſa tollere pondera, cùm in his omnibus caſibus, nulla ſit cauſam inter & effectum *mechanica* proportio? Artûbus à ſe invicèm diſtractis *organiſmus*, & corporis *organiſmo*, manet aliquandiù ſuperſtes; quânam enìm lege *mechanicâ* fieret, ut cor avulſum, & in flammas projectum, *referente Bacone*, repetitis à terrâ ſurgeret ſaltibus, ut, militis in prælio truncato capite, gladium ille, terque quaterque movens hoſti minitaretur; ut fœmina quædam, capite pariter abſciſſo, ſecundùm eam quam anteà ſuſceperat directionem, ſpatium quadraginta paſſuum percurreret. Sexcenta habemus alia quæ ſententiæ noſtræ adminicula totidèm afferre poſſemus experimenta, (*f*) quæque ob anguſtos nobis circumdatos limites, omittimus inviti.

V.

AT undique conclamantes audio, nonne reperias in humanâ *machinâ*, & vectes, & trochlæas, & funes, & tigna, & trabes, & plana inclinata? Adſunt, fateor, ſed ab iis ediſcam, vellem, àn multò longiores ſint vectes in phrenetico, quàm in ſuæ rationis compote, àn majores in ipſo trochleæ, àn validiores funes, àn & craſſiora tigna? Sin autèm, dicant cur ipſius mirum in modum adauctæ vires, tanta efficiant prodigia: dicant àn tantum fuerit quoàd diſpoſitionem *mechanicam* diſcrimen, corpus inter Milonis Crotoniaci & coætaneorum Athletarum, in cauſâ cur tantum fuerit virium diſcrimen. Aliundè ſi veræ in humano corpore concurrerent ad actus corporales, diſpoſitiones *mechanicæ*; undè tanta vivum inter & cadaver differentia, an tantas paſſum eſt corpus, in ordine *mechanico*, mutationes, ut omninò deletum dici queat, nèc ullum recurrat ampliùs corporis vivi phænomenum? Tu ſolus, inquient, tu ſolus non audiviſti de automatico adeô decantato Anate, qui vorata alimenta in ventriculo triturat factitio, & tandem digeſta foràs ejicit. Ab iis quæſiviſſe mihi ſatis erit, àn genuinæ digeſtionis communes præ ſe ferrent ejus excrementa, notas.

Itaque in eo cùm ipſis conſentio, ut & vectes, & alia ejuſmodi inſtrumenta in humano corpore fatear admittenda; ſed in hoc ab eorum ſententiâ diſcedo, quod in hypotheſi meâ, juxtà peculiares leges, vectes ſibimet ipſis ſint potentiæ, ſibique perindè motum imprimant ſpontaneum: haud ſecùs ideò vivunt in humano corpore vectes & trochleæ, ut in antris Vulcani vivebant folles & ipſi. Quæ quidem cuilibet inſita parti, vis vitæ, pro variis in varias modifica-

(*f*) Videas, Robert Whytt Vital Motions; ejuſdem Phyſiological Eſſays.

tiones inflexa circumstantiis; nunquàm verò rudis legibus *mechanices* adstricta & obtemperans, sequentem inducit conclusionem :

Ergò corpus humanum vivens, organum, *non* machina.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius-Ludovicus BERTHOLLET, *Academiæ Regiæ Scientiarum Socius, utriusque Pharmaciæ Professor.*

M. Antonius MATHEY.

M. Joannes-Baptista-Josephus THÉRY.

M. Joannes-Franciscus MARINIER.

M. Ludovic.-Carolus HALLOT.

M. Joannes Jacobus LE ROUX DES TILLETS.

M. Joann.-Stanislaus MITTIÉ, *Regiæ Scientiarum & Litterarum Nancei Academiæ Socius, necnon Stanislai I. Poloniarum Regis olim Medicus ordinarius.*

M. Carolus-Ludovicus-Franciscus ANDRY.

M. Joann.-Bapt.-Alexander MAIGRET.

Proponebat Parisiis, CLAUDIUS-BARTHOLOMÆUS-JOANNES LECLERC, Parisinus, in supremo Senatu Patronus, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author.

A. R. S. H. 1785.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1785.